In nomine domini amen. Quia cum est humanorum condicio gestorum propter instabilitatem prone oblivionis nisi certis litterarum apicibus luminetur
testimonio cum fidedigno. Proinde Nos Lodowicus dei gracia Rex Hungarie Polonie Dalmacie Croacie etc. Ad universorum et singulorum
presencium et futurorum noticiam volumus devenire. Quod accedens ad nostram nostrorumque Baronum et Nobilium presenciam honestus vir Nicolaus David Cyb-
lo civis de Wielicza sanus mente et corpore existens non compulsus non coactus nec aliquo motu fraudis circumventus sed animo deliberato habitoque
consilio amicorum suorum maturo. Nobili viro domino Hanconi heredi de Zabierzow vendidit duos famulos vulgariter Otroki ibidem in Wielicza
cum angisterio montis in monte dicto vulgariter Buronicza et iure hereditario sibi et suis legitimis successoribus cum omni libertate iure et dom-
inio quemadmodum ipsius et sui predecessores legitime tenuerunt et possederunt nichil ipse seu suis successoribus iuris aut dominii in predictis duobus
famulis vulgariter Otroki reservando pro octuaginta marcis grossorum pragensium numeri polonicalis quadraginta octo grossos pro qualibet marca
computando ipso predicto domino Hanconi perpetue iure hereditario ac titulo vendicionis perpetue resignavit ac eciam renunciavit cum omnibus utilitatibus
fructibus redditibus proventibus et obvencionibus universis que nunc sunt seu imposterum possunt provenire per ipsum Hanconem et suos succes-
sores legitimos perpetuis temporibus dictos duos famulos alias Otroki tenendos habendos possidendos regendos vendendos commutandos alienan-
dos et quolibet pro libito sue et suorum successorum legitimorum voluntatis convertendos. Quam quidem empcionem vendicionem et resignacionem
inter prefatos Nicolaum David Cybulo et Hanconem de Zabierzow sic habitam et factam de solita nostra clemencia Regie maiestatis ratam gratam
habentes atque firmam approbamus declaramus ratificamus gratificamus ac tenore presencium confirmamus. Harum quibus Sigillum no-
strum est appensum testimonio litterarum. Actum Cracovie ipso die beati Remigii Pontificis gloriosi Anno domini Millesimo Trecentesimo
octuagesimo primo. Presentibus dominis Dobeslao castellano Dobrogostio decano Jasskone cantore Cracoviensibus Dirslao Preposito
Wysliciensi Petro castellano Chalecensi Andrzone de Strzala et aliis multis nostris fidelibus fidedignis. Datum per manus venerabilis vi-
ri Johannis Radlicze Cancellarii supremi Regni nostri Polonie predicti

1381
No 10

Ao 17mo

1354

[illegible]

[illegible]

Przypozwy na drugich [illegible]

[illegible]

16